



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

41. An Hæreticus, non solum ob hæresim, verum etiam ob alia delicta  
distincta ab hæresi, careat Immunitate Ecclesiarum? Ex part. 1. tr. 1. res.  
29.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

## RESOL XL.

An qui vehementer suspectus est de heresi, gaudeat Immunitate Ecclesiarum? Ex part. 1. tract. 1. Ref. 38.

Sup. hoc supra in Ref. 29. §. 2. ad medium.

§. 1. **C**um quadam limitatione affirmatiue respondet Gambacurta lib. 5. c. 38. n. 4.

2. Sed omnes scribentes super dictam Bullam, absolute negatiuam sententiam docent, ut noster P. Peregrin. cap. 8. num. 8. Marius Italia lib. 1. cap. 5. §. 6. num. 59. & n. 140. & Ambros. cap. 8. num. 10. Idem etiam docet Penna in suis Annot. ad 2. p. Directorij Inquis. schol. 9. qui autem. Et post hac scripta hanc sententiam inueni apud Farinac. de immunit. Eccles. c. 13. num. 175. vbi sic asserit: [Non solum blasphemus hereticus, sed etiam quicumque alius de heresi quouis modo suspectus, si ad Ecclesiam confugiat, ab ea à ministris sancti Officij indifferenter extrahitur. Et ratio est: quia, cum error heresis consistat in intellectu, qui nisi per ipsiusmet rei confessionem declarari non potest, formalitatisque heresis ab hoc dependat; vtrique pro fidei orthodoxae conseruatione, ne pestifera hac lues latenter serpat, si rei huiusmodi ad Ecclesiam confugiant, ab ea extrahendi sunt, iuxtaque intentionis declarationem ad abiurationis gradum admittuntur. Et ita in antiquissimo illius sacri Tribunalis stylo semper seruatum est, & seruatur in praesens.] Hac Farinac. Vnde apparet, me his diebus respondisse contra opinionem Gambacurtae, quae omnino reiicienda est.

Sup. hoc in Refol. & §. not. praetertita.

## RESOL. XLII.

An hereticus non solum ob heresim, verum etiam ob alia delicta distincta ab heresi, careat Immunitate Ecclesiarum? Ex part. 1. tract. 1. Ref. 29.

Sup. hoc in Ref. seq.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Gambacurta lib. 7. c. 3. num. 6. P. Peregrin. de immunit. cap. 8. n. 13. Bobadill. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 54. Tanner. in 2. 2. diffut. 5. quest. 8. n. 16. si tamen de heresi non fuisset punitus. Et ratio est: quia est indignus tali fauore, & vt Ecclesia illum defendat. Verum contrariam sententiam tenendam esse iudico cum Portell. in dubiis regul. ver. Ecclesia immunitas, num. 10. Azorio p. 2. lib. 9. cap. 9. quest. 9. Syluestro verb. immunitas, 3. q. 3. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 10. n. 13. Bonacin. de legib. disp. 3. q. 7. §. 3. num. 3. & aliis. Et ratio est: quia non habemus fundamentum ad excipiendam personam, vbi crimen non est exceptum. Vnde in illis locis, vbi haeretici impunè habitare permittuntur, nec propter heresim puniuntur, dicendum est, in criminibus non exceptis, gaudere, vt ceteri, immunitate Ecclesiarum. Vide circa praesentem quaestionem Farinac. de immunit. cap. 13. n. 170.

## RESOL. XLIII.

An haeticus quoad alia delicta gaudeat Ecclesiarum Immunitate? Idem dicendum est de Schismaticis, Apostatis, & fautoribus haeticorum, &c. Ex p. 6. tr. 1. Ref. 24.

Sup. in Ref. que hic est infra 45. & in aliis eius prima not.

§. 1. **N**egatiue respondet Sarpus c. 5. fol. 60. vbi cum intendat probare, vt supra visum est, infideles non gaudere Ecclesiarum immunitate; hoc probat exemplo haeticorum, & ideo sic asserit. Quodcumque verò de Iudaeis dicitur, infideles omnes

amplectitur, cuiusvis sectae fuerint. Id autem facile probari potest ex Constitutione Ioannis XXII, quam superius retulimus, qui constituit haeticos Ecclesiarum immunitate defendi minime posse: ex eo namque consequens est multò minus infidelibus hoc licere. Et enim haetici licet prauas opiniones habeant, Baptismatis tamen caractere insigniti Christum Iesum aliqua saltem ratione venerantur, quem infideles auersantur, atque execrantur.

2. Sed hoc argumentum Sarpi à maiori ad minus, videlicet infideles esse excludendos ab immunitate Ecclesiarum; quia ab illa excluduntur haetici; negandum est: nam haetici secluso crimine heresis, quoad alia delicta gaudent Ecclesiarum immunitate. Et ita ego docui in part. 1. tract. 1. refol. 29. cum multis Doctores, quibus nunc addo Ludouicum Corream relect. de immunit. part. 3. num. 3. Castrum Palaum tom. 2. tract. 1. disp. unic. punct. 7. num. 4. Trulench in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. n. 2. Villalobos in summa, tom. 2. tract. 39. diffie. 7. n. 20. Farinacium de immunit. cap. 13. num. 170. & Marium Italianum lib. 1. cap. 5. §. 6. num. 7. Et ratio est, primò, quia non habemus fundamentum ad excipiendam personam, vbi crimen non est exceptum. Secundo excipitur in iure crimen heresis, consequenter haeticus tantum ratione heresis: verba enim formaliter accipienda sunt, & cum immunitatis priuilegium sit fauorabile, restringi non debet abque fundamento & ratione. Tertio immunitatem debet exercere Ecclesia erga omne genus personarum, cum instituta sit à Christo Domino, qui inimicos iubet diligere: aliter enim aliud iuberet, aliud autem exerceret. Deinde non videtur dicendum quoad hanc immunitatem Christianum esse melioris conditionis, quam infidelem vel haeticum; cum aequalitas sit seruanda erga omnes, vt ipsi agnoscant ingratiitudinem suam. Quarto respectu aliorum delictorum crimen heresis se habet per accidens; ergo non potest impedire immunitatem, quam reus obtinet, ne ob alia delicta ab Ecclesia extrahatur. Quintò iura priuilegia haeticum immunitate, formaliter intelligenda sunt, videlicet vt priuilegium haeticum, quatenus haeticus est, non quatenus homicida, &c. alius, qui delinqueret in Ecclesia, priuatus esset immunitate, non solum quoad illud delictum, sed quoad alia quaelibet, quod est contra communem. Et tandem sextò hoc priuilegium immunitatis concessum est loco & non personis: Ergo, &c. Et hanc opinionem esse probabilem concedunt ipsimet aduersarij, vt Facundez part. 2. lib. 4. cap. 4. n. 49. ergo est amplectenda: quia inter duas opiniones illa debet amplecti, quae fauet Ecclesiae; vt ego \* alibi satis probaui, & probat Gratianus in disceptatione, cap. 88. num. 6. & cap. 131. n. 2. Pacianus respons. 7. n. 123. Hondecius consil. 3. num. 24. lib. 1. & post illos Sperellus decis. 91. n. 29. Vnde ex his sequitur quid dicendum de Schismaticis, Apostatis, fautoribus haeticorum: isti enim sunt excludendi à priuilegio immunitatis, quando ipsorum crimina coniuncta essent: cum haetici, secus autem si eorum delicta cum haesi aut fauore heresis coniuncta non sint.

3. Nec valet dicere in fauorem opinionis Sarpi id quod asserit Peregrinus de immunit. c. 8. n. 13. & alij, nempe haeticum esse indignum hoc beneficio & priuilegio, cum sit Ecclesiae hostis & proditor. Nam respondeo haeticum esse quidem indignum hoc priuilegio; sed Ecclesia ex tertio argumento superius adducto ob ostensionem suae pietatis illum ab hoc priuilegio non vult excludere.

Quae hic est Ref. antec. deus.

\* Alibi infra in Ref. 118. §. vlt. & in Ref. 128. §. Sed ne. in fine, & inferius in tr. 2. Ref. 162. §. Ad priuilegium. cursum in fine, & in Ref. 190. §. Sed respondeo. prope fine, & in Ref. 195. in fine, & in Ref. 201. & 207. §. Igitur & in Refol. 214. §. 1. post medium, & infra in tr. 3. Ref. 11. §. 1. ad med. & inferius in tr. 7. Ref. 4. §. Sed sileat. & in tom. 6. tr. 7. Refol. 119. §. Igitur post med.

RESOL.